

# CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

---

CUSCHENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVI DEI

**ALFONSI BARZANA**

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU

(1530-1597)

---

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ille Pater vitam Domino donavit, Evangelium magno cum studio adaptationis ad consuetudines loci praedicando. Ei gratum erat cum illis agere, quos appellabat “meos dominos Indos”. Omne se fecit omnibus».

His verbis Pater Georgius Marius Bergoglio, olim Argentinorum Provincialis Societatis Iesu, nunc autem Papa Franciscus, extraordinariam experientiam Servi Dei Alfonsi Barzana describebat, in lucem proferens eius fecundam generositatem, humilitatem evangelicam, vehementem caritatem pastoraalem mundo omnino apertam.

Servus Dei Hispania, forsitan in pago *v.d. Belinchón* iuxta Concham, inter annum 1529 et annum 1530 natus est, forsitan ex familia Iudea parentibus et quattuor filiis composita. Pater eius medicus sua cum familia ad pagum *Baeza* se transtulit ad annum 1545 vel 1546, illic Servus Dei Collegium Studiorum Generalium Sanctissimae Trinitatis optimo merito quoad doctrinam et disciplinam frequentavit. Duodevicesimo anno aetatis suae, audito sermone, statuit omnino vitam suam mutare, iter orationis et poenitentiae aggrediens, dum universitatem frequentat. Haec radicalis experientia suam sanitatem infirmavit. Valetudine tamen restituta, philosophica et theologica studia perfecit et anno 1559 iuxta eandem universitatem docere incepit.

Illis annis Sanctum Ioannem Abulensem cognovit, cuius filius spiritualis fuit. Ipse Ecclesiae Doctor eum exhortatum est ut ad praedicationem per Vandaliciam operam suam daret. Servus Dei sic tali opera occupatus erat cum Societatem Iesu ingredi statuit. Anno 1555 sacro ordine auctus est et anno 1567 simplicia vota emisit.

Duos post annos cum semel atque iterum Peruviae a Regis vicario postularetur, Patris Generalis Sancti Francisci Borgia permissione, una cum aliis confratribus Societatis Iesu navem conscendit ad illam regionem Americae Meridianaе. Post brevem commorationem Limae se transtulit in regionem *Huaro-chiri*, quae olim erat missio multis pagis Indorum Americanorum constituta: Servus Dei predicationis munere functus est et usum accedendi ad eucharisticam communionem fovit. Limam rediit ibique suscepit officium rectoris collegii et paulo post Cuschi eodem officio fuit.

Illis in adiunctis potuit cognoscere et ad Evangelii notitiam ducere illum clarum Tupac Amaru, qui extremus omnium incolarum Indorum existimabatur. Anno 1574 Pater Alfonsus se contulit in

regiones lingua *aymara*, quam didicerat, missiones locorum *Arequipa*, *Chucuito*, *Omasuyos* et *La Paz* ab eo generose et animi alacritate evangelizatae sunt. Anno 1576 fuit iuxta Indos *Mama*, *Guanchor* et *Sisicaya* eodemque anno Servus Dei Limae sollemnia vota emisit.

Illo tempore quaedam animorum tensio habebatur inter viceregem et Societatem Iesu, ob quam rem quidam religiosi ex nonnullis collegiis amoti sunt; quamquam haec eveniebant, Servus Dei in loco *Arequipa* mansit et postea etiam collegium in burgo *La Paz* fundare potuit.

Anno 1585 Pater Alfonsus missionarius in Argentina operam dedit Evangelium propagando in regiones quas habitabant gentes vulgo dictae *Tobas*, *Mocobies*, *Diaguitas*, *Chiriguanos*, *Hiles*, *Cachaquies*, isti autem clarissimi eranti eorum bellicosa natura. Cum pedibus et cruribus laboraret, ad Assumptionem traductus est in hodierna Paraguaia. Quamvis haec difficultates acciderent, suam operam praedicationis et Evangelii evulgationis non intermisit, sed loci sermonem *Guarani* didicit ut aptius cum indigenis colloqui posset, quippe vel undecim cognovit loci sermones, quorum quibusdam etiam grammaticas et catechismos conscripsit libros editos conficiendo inter primos totius Americae. Inter eximios fructus eius operae apostolicae oportet considerare viginti per annos ipsum plus quam duo centum milia hominibus sacrum baptismum contulisse.

Omnibus his rebus clare eminet spiritualis Servi Dei descriptio, valde pervasa illo spiritu missionario, peculiari fere omnibus illius saeculi Hispanicis religiosiis. "In actione contemplativus" fuit ratio eminentissima super qua Sanctus Ignatius de Loyola suam vitam suumque pedagogicum et pastorale propositum fundaverat. Eius in

schola multi Iesuitae viam missionis percurrebant usque ad mundi fines, qui illo tempore magis magisque cognoscebatur et detegebatur.

Iesu Christi amore incensus eiusdemque rationis salvificae Servus Dei toto animo se tradidit magnae operae evangelizationis et promotionis gentium, quae incommodis magis opprimebantur. Fide funditus defixus et inconcussa spe concitatus, naturam suam maturavit secundum illud "*ad maiorem Dei gloriam*" et ad ministerium erga proximum. Humilis, tenax, pauper et oboediens, castus et sedulus sic Pater Alfonsus ad effectum adducebat absolutam sui deditioem erga Dominum talique ratione loci ab indigenis percipiebatur, qui christianam ad fidem accensi erant non solum eius a verbo sed maxime a cohaerenti exemplaritate.

Decembris mense anno 1596 eius valetudo ingravescere incepit. Iter commisit ad Limam ut aptiore modo curari posset sed cum pervenit Cuzcum res in peius omnino mutavit. Servus Dei die 31 mensis Decembris anno 1597 decessit. Sanctitatis clara fama circumfusus etiam indigeni sui sancti excessum ploraverunt.

Fama sanctitatis, e die 23 mensis Novembris ad diem 22 mensis Decembris anno 2016 iuxta Curiam ecclesiasticam Cuschensem celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 16 mensis Martii anno 2017 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 21 mensis Novembris anno 2017 Peculiaris Congressus Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria Sessione diei 5 mensis Decembris anno 2017 cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales eisque adnexis exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Alfonsi Barzana, Sacerdotis professi Societatis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris a.D. 2017.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis  
*a Secretis*